



## QUINTA CLASSIS

De Medicamentorum in Solida  
& Fluida simul operantium.

### C A P U T U N I C U M

*De Antidotis.*

I. **A**ntidotus vel Antidotum, Ale-  
xipharmacarum, Alexicacum,  
Alexiterion, & Theriaca idem  
denotant Medicamentum, scilicet illud  
quod contra Venenum valet.

( Jam vero priusquam de *Antidotis*  
agamus, quædam de *Venenis in gene-*  
*re præmittenda sunt THEOREMA-*  
*TÀ.*)

**THEOR. I.** *Venenum* proprie vocatur  
id quod Mortem [ citius, lentius-ve ] in-  
ducit, vi quædam singulari.

**THEOR. II.** *Mors* inducitur tollendo  
Circulationem Sanguinis a Corde in  
Pulmones & Cerebellum, & ex iis  
rursus in Cor.

**THEOR. III.** Hæc autem Circulatio  
tollit

476 PARS III. CL. V. CAP. UNIC.  
tolli potest, 1. Vires motrices auferendo:  
2. Liquida corrumpendo: 3. Vasa de-  
struendo: 4. Tria prædicta simul agendo.

**THEOR. IV.** Vires motrices *tolli* ne-  
queunt, nisi Solida & Fluida corrupta  
sint. Liquida vero per se considerata  
peccare non possunt, [ ita scilicet ut  
Vites motrices inde pereant ], nisi in  
*coagulum* abeundo: Coagulum autem  
fit vel in Venis, per *assumpta*; vel in  
Vasis Pulmonalibus, per *inspirata*: Vi-  
de PART. II. CAP. VII. de *Coagulan-*  
*tibus*. Vasa porro destruuntur, vel  
quatenus ab acrimonia [ contentis Li-  
quidis per *Venena* superinducta, ero-  
duntur, vel quatenus nimis coarctan-  
tur; qualis quidem coarctatio Vasis  
Pulmonalibus inducta contingit a Fu-  
mo Sulphuris, &c.

**THEOR. V.** Sic igitur quæcunque  
Vasa *minima* valde *constringunt*, vel  
*erodunt*, externe aut interne applica-  
ta, vel quæ Liquida *coagulant*, sunt  
*Venena*: hæc autem si effectu hosce  
subito producant, *Venena* dicuntur *ce-*  
*lerrima*; si vero lente operentur, tum  
etiam *lenta* audiunt. Quin & ex his  
plurima vim suam exerunt *perturban-*  
*do* Motum Circulatorium, & Secretori-  
um, Excretoriumque, nec non Spi-  
rituum Motum, Spasmos scilicet indu-  
cendo.

**THEOR.**

**THEOR. VI.** Hinc omnia Venena simplicia ad tres classes reduci possunt; nimirum, [1] ad ea quæ Vasa constringunt, aut erodunt: (2) Ad ea quæ Liquida coagulant: (3) Ad ea quæ Motus antedictos perturbant. Ceterum, ex hisce simplicibus Venenis facile possunt erui composita.

2. Ex dictis igitur patet, quod *Antidota* talia debeant esse quæ quidem vel Venenum corrigant, vel idem expellant, vel Vasa muniant, vel Spasmos compescant.

3. Jam vero *Antidota* quæ Venena corrigunt, operantur vel demulcendo, vel Coaguli vim tollendo, vel resolvendo. Quæ expellunt, id agunt vel ope Circulatorii Motus, [atque sic Aqua calida, cum Aceto & Sale epotta, propter Motum auctum & Sudores excitatos, antiquissimum est *Alexipharmacum*], vel attrahendo extra Corpus: vide PART.III.CL.III.CAP.VIII. de Attrahentibus. Vasa porro muniuntur per Blanda, Glutinosa, Oleosa, Saponacea: confer PART. I. CAP. III. de Laxantibus, nec non PART.H. CAP.IV. de Demulcentibus, ut & PART. HI. CL. HI. CAP. HI. de Emollientibus. Impetum denique in Genere Nervoso, sive Spasmos compescunt omnia quæ recensuimus, simul

mul & Opiata ; hinc etiam Theriaca ,  
*Diascordium* , ceteraque Alexipharma-  
ca confici solent ex fortibus Sudorife-  
ris , Gelatinosis , Demulcentibus , &c.  
ac Opiatis simul commixtis .

4. *Antidota* autem omnia ad binas  
*Classe*s sequentes reduci possunt .

I. *Classis* includit *Antidota simpli-  
cia* . Hæc vero desumuntur , I. Ex An-  
imalibus : ut *Carnes* omnium Animalium  
Venenatorum , eorumque *Sales* ;  
item *Olea* per infusionem cum ejus-  
modi *Carnibus* præparata ; nec non  
Venenatorum *Lapides* sive *Calculi* con-  
creti : huc porro spectant *Trochisci* de  
*Bufo*nibus Helmontii , de *Viperis* An-  
dromachi , atque de *Serpentibus* ; sic  
etiam Itali *Olea* *Scorpionum* , *Vipera-  
rum* , *Serpentium* , *Bufo*nium , *Ranarum* ,  
pro summis habent alexicacis . Per-  
tinent huc itidem *Attrahentia* sive  
*Absorbentia* : qualia sunt *Lapis Bezoar*  
uterque , Orientalis nimirum & Oc-  
cidentalis , *Lapis Hystricis* sive *Pedra*  
*del Porco* , *Lacryma Lapidosa* [a] , *Os  
Cervinum* , *Oculi Cancerorum* , &c. z.

Ex

(a) Per *Lacrymam Lapidosam* intellige  
Sordes illas , quæ in anculis Oculorum re-  
periuntur in *Cervis* , veluti Cera indurata ,  
odoris gravis & penetrantis . De quarum fa-  
cilitate differens MATTHIOLUS , in *Com-  
mento* .

Ex Vegetabilibus: scilicet ea quæ vel  
adstringunt, vel aperiunt, vel demul-  
cent;

ment. ad Lib. II. DIOSCOR. pag. m. 290.  
scribit (ex mente SCRIBONII LARGI )  
„ hasce Sordes , tam haustas , quam illitas,  
„ mirifice præstare ad Venenatorum Serpen-  
„ tium Morbus ; ideoque SCRIBONIO te-  
„ ste ) illas a Siculis Venatoribus diligenter  
„ colligi , & quocumque portari cum ipsis in  
„ cingulo . “ SCHRODER itidem , in Phar-  
mac. Lib. V. Clast. I Art. 17. N. 7. pag. m.  
283. eas ad piures morbos maxime commen-  
dat: „ Siccant ( inquit ) adstringunt, corro-  
„ borant, Sudorem cident; ideoque, adversus  
„ Venena Morbosque contagiosos, quam sum-  
„ me celebrantur, ut vel cum Lapidis Be-  
„ zoar viribus certare dicantur. Quin imo  
„ profundit hæ Lacrymæ quoqne in Difficulta-  
„ te Partus, adeo ut earum vis nuper adhuc  
„ sit comperta in mortuo etiam Fœtu expel-  
„ lendorum Dos. gr. iij. vel iv. “ Hæc SCHRO-  
DERUS . Ab aliis etiam Auctoribus , contra  
Venena Morbosque Venenatos , vocantur *An-*  
*tidotum* pretiosiss Regum Thesauris antepo-  
nendum: confer ZACUT. LUSITAN. de Me-  
dicorum Principiū Historia , Lib. V. Histor.  
XXIX. sub finem , pag. m. 901. Tom. I.  
ubi refertur insignis Observatio de hujuscce La-  
crymæ ( ad gran. iij. exhibita ) maxima ef-  
ficacitate contra Febrem valde malignam : vi-  
de quoque FRIDER. HOFFMANN, Clav.  
Pharmaceut. SCHROD. pag. 659., nec non  
GASP. a REIES , Elys. Jucundar. Question.  
Camp.

cent ; ut Radices Angelicæ , Anthoræ ,  
**Carline** , Contrayervæ , Dictamni albi ,  
 seu Fraxinillæ , Hirundinariæ sive Vin-  
 cetoxici , Serpentariæ Virginianæ , Tor-  
 mentillæ , &c. Folia Abrotani , Cardui  
 benedicti , Juglandis , Rutæ , Scordii ,  
 Cortex & Fructus Fraxini , &c. ex  
 quibus omnia Præparata optima sunt  
 pro Alexipharmacis . 3. Ex Minerali-  
 bus : scilicet omnia Absorbentia ; ut  
 Boli , Terra , &c.

II. Class. continet Antidota compo-  
 sita : uti sunt Theriaca , Diatessaron  
 Mesue , [ quæ quidem summe Dia-  
 phoreticā & innoxia est ] Electuaria  
 de Succo Ruta , de Baccis Lauri , de  
 Satyrio , de Ovo ; Confectio Hyacinthi ,  
 Alkermes : dein Antidota Opiata ; ut  
 Requies Nicolai , Philonium Persi-  
 cum , Romanum , &c. Theriaca An-  
 dromachi , Diascordium Fracastorii ,  
 ac Sylvii ; nec non Mithridatum ,  
 & Orvietanum : hoc autem ultimum  
 Ma-

Camp. Quæst. lvii. pag. m. 537. Verum ta-  
 men his omnibus fidem denegat ETTMUL-  
 LER , in SCHROD. Dilucidat. Part. I. Sect.  
 III. pag. m. 221. ubi quidem assert : „ Ve-  
 „ rum fabulam esse quod istæ Lacrymæ sint  
 „ alexipharmacæ & Bezoar, illasque nihil va-  
 „ lere & nullum esse earum usum . “ Ceterum ,  
 quicquid de hac re sit , hodie saltem il-  
 larum usus ubique fere exolevisse videtur.

Magistrum suum fecellit ; quum enim iste gloriaretur , se illius ope quodlibet Venenum interne sumptum debellatum , atque , ex Medicorum præscripto , triginta grana Arsenici sumpsisset , Antidoto hocce suo non obstante , brevi mortuus est .

**COROLL.** Ex dictis patet , *Antidota generalia* nulla esse , ( quin & repugnare talia dari ; ) sed Medicamenta evadere *Antidota* , quatenus hunc illum-ve diversum effectum in Corpore nostro producunt . (a)

X IN-

(a) De *Venenis* , eorumque *Antidotis* , plura & meliora vide in *Institutionibus Medicis Clarissimi AUCTORIS nostri* , paragraph. 1119. & seq. Porro , super eodem argumento , uberrime scripsit ( qui quidem , inter Veteres , omnium instar esse potest ) SANCTES DE ARDOYNIS ; cuius *Opus de Venenis* , una cum *Commentariis FERDINANDI PONZETTI* , Cardinalis , editum est Venetiis , 1492. *in-folio* , deinde vero , ex castigatione & cum *Præfatione THEODORI ZVINGER* ( Basileæ , 1562. *in-ol.* Inter Recentiores autem , super hac re , legi meritentur imprimis quatuor doctissimorum Auctorum Tractatus ; scilicet , (1) RICHARDI MEAD *Mechanical Account of Poisons* , in several Essays , i. e. , *Mechanica Expositio Venenorū* , in variis Tenuimisib[us] contenta ; qui Liber evulgatus est Anglice , Londini , 1702. & 1708. in 8o. ac demum in lingua latīnam versus , impressuque Lugduni Batavorum ,

rum, 1737. *in-8o*. [2] JOANNIS LINDEL-STOLPE *Liber de Venenis*, cum *Animadversionibus*, &c. CHRISTIANI GODOFREDI STENTZEL, Francofurti, & Lipsiae, 1739. *in-8o*. Hic vero Tractatus jam quidem antea, nimurum anno 1708, editus fuerat *in-12o*. Lugduni-Batavorum, ab ipso Auctore JOHANNE LINDER, Medico Sueco, (qui dein a Rege Sueicæ nobilitatis jure donatus, aucto nomine, LINDE RSTOLPE, sive LINDELSTOLPE, vocatus est) sub hoc titulo, *De Venenis in genere & inspe-  
cie Exercitatio*. (3) CHRIST GODOFR. STENDZEL *Toxicologia Pathologico-Medica*, sive *de Venenis Libri tres*, Vitembergæ, & Lipsiae, 1733. *in-4o*. Denique (4) JOHANNIS JACOBI VVEPFER *Cicutæ Aquatice Historia & Noxe*, ubi etiam de pluribus aliis Venenis Observationes extant) Basileæ, 1776. & 1716. *in-4o*.

F I N I S.

IN-